1158 cum plurima militia insudat ponte. Quo perfecto domnus imperator cum electis militibus rapidissimum flumen superans in auxilium, sicubi opus esset, domni regis advenit. Alii vero Boemorum alium pontem ad opus sue militie reparant, ubi pro nimia ex utraque parte pressa [1] magna parte pontis ruente multi tam Boemi quam Ungari naufragio interierunt. Domnus autem Pragensis episcopus Daniel predicta audita victoria etiam ibi domino suo regi debitum paratus exhibere servitium in tanta se committens pericula per pontem predictum aquam transiit in predicto ponte vulneratis spiritualia prebens solatia. Rursus autem cum per reparatum pontem Boemi transirent, propter maximam multitudinem pressam ponte maiorem ruinam faciente plures naufragio perierunt. [2] Nullus etenim eorum vehementiam retrahere poterat. Ego autem Vincentius hoc malum considerans in tale periculum me precipitare animum retraho, quid facto opus sit in tali negotio cogitans, et potius saluti quam audacie consulens cum Papiensibus, qui forum exercitibus imperatoris adducebant, quibus vie et pontes noti erant, ad stationes ducis Karinthie [3], qui in superiori parte fluminis quandam fortem munitionem contra castrum

~~ny. multitudine~~
Ht multitudine statt
1. pressura
L multitudo.

1) ~~statt pressura, compressione Wattenbach; besser als die Dobnersche Konjektur.~~

2) Otto Mor. 49 berichtet nur von einmaligem Brückeneinsturz, und zwar die kaiserl. Hauptbrücke.

3) Heinrich.